

Disputatio medica, inauguralis, de cynanche tonsillari / Quam ... pro gradu doctoris ... eruditorum examini subjicit Gulielmus Holland.

Contributors

Holland, William, active 1776.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie ..., 1776.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ujcuqwy3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

BGRS n

HOLLAND (William)

Disputatio, 1776

61607/P

HOLLAND, W.

DISPUTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
CYNANCHE TONSILLARI.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS HOLLAND,
BRITANNUS.

Soc. Med. Edin. Soc.

Prid. Id. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVI.

348162

Viro claro gravique

FRANCISCO BILLAM,

CHIRURGO,

Artem suam, cum pari laude et bono publico,

Leede in agro Eboracensi exercenti,

Olim in rei chirurgicae et medicae tyrocinio

Praeceptoris suo,

Amico dein ;

Ob haec et alia quae sibi officia praestitit :

Item,

JOANNI THOMPSON,

ARMIGERO,

Propinquo suo,

Et insuper amico,

Hunc primum studiorum suorum fructum

D. D. C. Q.

GULIELMUS HOLLAND.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE TONSILLARI.

CYNANCHE tonsillaris * saepe angina inflammatoria † nominata est, de qua, lauream medicam in illustri hac academia petens, et hujus ex legibus aliquid in lucem edendum scribere jussus, differendum paucis putavi.

A DE-

* Cull. Gen. Morb. G. X. sp. 5.

† Boer. Aph. 798.

DEFINITIO.

Cynanches tonsillar̃is notae, quibus cognosci, et ab aliis omnibus morbis dignosci, potest, sunt “ Febris synocha et dolor faucium, deglutitio et spiratio difficiles, cum angustiae in faucibus sensu, membranaeque faucium mucosae, praecipue tonsillarum, tumor et rubor *.”

SEDES MORBI.

Cynanche tonsillaris membranae faucium mucosae inflammatio est, eam potissimum folliculorum mucosorum congeriem, ex qua tonsillae constant, afficiens, hinc per velum pendulum palati, perque uvulam tendens,

* Cull. Gen. Morb. G. X. Prim. Lin. ccxciii.

tens, totam faucium membranam saepe occupans, raro imam, rarius latius, linguam comprehendens, glottidemve aut epiglottidem attingens *.

Deglutitio difficilis, etiam dolorifica, est; magisque, cum humor aliquis, quam cum firma, devorantur. Visciditas quaedam ingrata in ore, dimanantisque quasi undique humoris pituitosi sensus, subest. Assidua quoque muci, sed difficilis, excretio est. Dolor aliquando subest, ad aurem usque patens, haec inter devorandum crepat †, spiritus, ubi paulo major inflammatio est, difficilis, non per nares, perque fauces, justo angustiores, aegrius, perficitur ‡. Tussis gravior leniorve est, quam ut catarrho comitanti semper tribuenda sit. Febris, ut genere bona, ita gradu lenior, plerumque est. Cui horror, ut omni pyrexiae, praecedens ||, adeo levis saepe

* Cull. ad loc. rel. Prim. Lin. Prael.

† Cull. prael de Cynanch. an. MDCCCLXXII. Sauv. de Cynanch. pag. 488. summ. vol. I.

‡ Id. ibid.

|| Cull. Gen. Morb. Cl. I. Charact.

faepe est, ut vix ab aegrotante percipiatur, faepe in mentem rogati difficile revocetur. Pulsus pleni, validi, et duri sunt. Vires minime franguntur.

DIAGNOSIS.

Partis affectae rubor clarior et vividior plerumque, quam in cynanche gangraenosa, est; majorque hic, quam in aliis hujus generis speciebus, tumor. Qui a cynanches gangraenosae in hoc plerumque differt, quod in tonsillari aequalior et una faucium parte magis contentus est, in gangraenosa per fauces serpere perspicitur. Eodem a pharyngea et tracheali morbus distinguitur, quod in illa nullus tumor, in hac vix ullus, cerni potest. Una igitur nota, qua cynanche tonsillaris haud male insignitur, est tumor, clare aut vivide rubens, membranam faucium aequaliter obtinens

obtinens fixusque ; qui a magis atro, vel in nigredinem vergente, perque eandem membranam serpente, haud difficile dignoscitur. Sed haec nota minime perpetua est ; siquidem etiam in cynanche tonsillari tumor iste ater et serpens aliquando quoque cernitur *. Quin et magnitudo tumoris, qui in cynanche tonsillari plerumque manifeste major, quam in gangraenosa est, discrimen idoneum dat ; nisi quod etiam in hac in satis magni tumoris speciem tonsillae quandoque inflantur. Quod eo magis animo perpendi debet, ne hac, colorem et tumorem respiciente, nota temere arrepta, alter pro altero morbo, cum magno aegrotantis malo, aut certa etiam perniciē, accipiatur.

Cynanche tonsillaris a gangraenosa porro distinguenda plerumque est, “ crustis mucosis, coloris albescentis, vel cineritii serpentibus, et ulcera tegentibus,” quae a gangraenosa nunquam, a tonsillari plerumque, absunt †. Sed neque haec perpetua nota est, quae

* Cull. prael. de Cynanch. an. MDCCCLXXII.

† Cull. Gen. Morb. G. X. sp. 2. Prin. Lin. cccxciv.

quae perpetua esse a nonnullis tamen credita, in exitialem errorem traxit. Nam eae ipsae crustae in tonsillari specie quandoque incidunt. In qua consuetius fere nihil est, quam maculas aphthosas, albescentes, circumscriptas, cernere. Quae, quod circumscriptae sunt, a similibus, in gangraenosa specie incidentibus, haud difficile discernuntur. Verum interdum coloris sordidioris et cineritii sunt, et quodammodo quoque serpunt *. Quod ubi fit, nihil in ipsis est, quo utrius speciei de qua agitur sint, pro comperto sciri possit; et aliunde discrimen petendum.

His igitur notis, quantum possint, valentibus, certius morbi species aliis quibusdam patebit. Quam tonsillarem esse haud ambigetur, si sporadicus morbus est, si a frigore manifesto coepit, si omni contagionis indicio caret, nec febris typhum † refert, et contra evidens synocha est ‡. Cynanchen tonsillarem non contagio-

sam

* Cull. prael. ad Cynanch. Tonfil. an. MDCCCLXXXIIII

† Cull. Gen. Morb. G. V.

‡ Ibid. G. IV.

sam esse, inter omnes convenit: Centies singuli in singulis familiis affecti sunt*, Et cum plures, forte contubernales, eodem tempore afficiuntur, ejus rei causa, nempe communis omnibus frigoris magnitudo aut efficacia, humore aucta, manifesta esse, contagionis indicium nullum cerni, solent. Denique, minime obscurum pyrexia, prout in hac aut illa specie appareat, discrimen excussa praebet. Quae in cynanche tonsillari, ut dictum est, synocha est, in gangraenosa, ut in nosologia notatum est, typhodes. In illa pulsus pleni, validi, durique, ab iisdem in hac exiguis, parvis, et debilibus, facile discernuntur. Nec in illa robur infractum, in hac prorsus prostratum, nullam differentiae notam dat. Postremo, eadem morbi species inter se causa remota internoscuntur: Quae in tonsillari frigus longe saepissime est, semperque aliqua causarum, cum phlegmasiis huic speciei communium, nempe semper aliquid, quod sanguinis cum abundantia impetum auget, reperitur; cum gangraenosam

* Cullenus id se vidisse dicit, prael. de hoc morbo.

graenofam nunquam non contagio facere observetur.

Plura sunt gangraenofae speciei propria, ab altera aliena, quorum absentia hanc morbum esse liquidissime, vel singulorum, sed multo magis conjunctorum, indicat. Ea sunt pyrexia lenta semper et generis putridi, hanc incipientem anxietas febrilis major, vomitus et alvus praeceps, saepius comitantia, coeptum cito, debilitas, mox eruptio miliaris aut scarlatinae simillima, et aliquando ipsae petechiae, subsequenter; postremo, humoris acris ex ore in coryza, et ex ano, dimanans. His omnibus aut pluribus absentibus aut praesentibus, utrius speciei morbus sit, neutiquam obscurum erit; ut ex crustis folis, tumorisve specie aut colore, judicium neque necessario, neque clare, eoque nec tuto, trahatur.

MORBI

MORBI FINES.

Cynanche tonsillaris plerumque resolvitur, aliquando in suppurationem, vix in gangraenam, transit, non, ut videtur, in scirrhum.

CYNANCHE TONSILLARI LOCUS IN NOSOLOGIA DEBITUS.

Ut Sauvagesii in altioribus generibus, nempe, ordine et classe, cynanchen respiciens, error admissus taceatur, certe imum ejus genus, quod cynanches nomine dedit, minime aut naturale, aut sibi constans, videbitur; ut ex speciebus, sub hoc genere comprehensis, manifestum est. Cum enim genus “Dolor

B

gutturis

gutturis cum dyspnoea strangulante, dysphagia, et pyrexia acuta," definiatur; ita in unam nosologiae legum, qua, ut generis definitio omnium specierum definitionibus addi possit, requiritur, ea definitio peccat. Nam, ut omnibus speciebus dolor gutturis communis sit, et vel ex lege artis intelligi, vel unicuique specierum addi, queat, certe, de reliquis definitionis genericae notis, idem dici non potest. Nam dyspnoea et dysphagia in omnibus speciebus non perpetuae sunt. Quarum dysphagia, in quinta ejus specie, tertia Culleniana, saepe illo ipso fatente, non incidit. De qua "cum," inquit, "ipsius laryngis musculis insidet inflammatio, maxime, si interna fuerit, dolor in elevatione laryngis ad deglutationem ingens" est. Rursum in specie ejusdem viri sexta, quarta Culleniana, "respiratio satis commoda*" est. Ubi igitur dyspnoea? Quin in specie decima quarta ejus, quinta alterius viri, ubi et "respiratio

* Vid. hanc spec. Cull. Gen. Morb. G. X.

“ respiratio et deglutitio parum laesae *” reperiuntur ; utraque ejus notarum genericarum tam dyspnoea quam dysphagia, quamvis ipse neget, praeterque eas, cum apyretam hanc speciem dicat, pyrexia non acuta solum, sed, si qua alia est, ea quoque, defunt. In hac igitur specie nihil esse videtur, praeter solum gutturis dolorem, quo ad genus pertinere eam dicas. Sed tam guttur, quam quaelibet fere corporis pars, sine cynanche, et sine ipsa etiam inflammatione, dolere possunt. Quanto rectius noster, qui, ne in tales se angustias redigeret, generis sui, quam non multum elaborasse se, specierum definitionibus praecipue fidendum arbitratus, ipse fatetur, definitionem iis notis, quae pariter ad genus firmandum et ab omnibus aliis distinguendum, pariter ad species comprehendendas pertineant, instruxit. In qua tamen magni viri definitione, quo certius reprehensionis, quam Sauvagesiana merita est, parti eripiatur, secundum *et in aut* mutari debet.

Idem

* Vid. Cull. Gen. Morb. G. X. sp. 5.

Idem vir, nosologiae utilior quam probabilior, Sauvagesius, in alteram nosologiae pariter et logicae legem, quae magnitudinem non facere differentiam proponit, haud dubie offendit; cum in ejusdem, de quo agitur, generis definitione vocem *strangulans* adhibet. Cujus adhibitae effectus est, ut ea definitio etiam minus speciebus accommodetur; nam, si minus perpetua dyspnoea est, certe dyspnoea strangulans multo minus erit. Idem tertiae nosologia receptae legis, quae aut pro generibus aut pro speciebus recipi symptomata vetat, violatae manifesto reus est in iis omnibus speciebus, quas adpellat, in nosologia Edinensi, pro symptomaticis casibus, notatis*. Si casus, prout ab internis aut externis causis pendent, ordinantur. Ab internis causis sunt cynanche epidemica S. sp. 2.; cynanche prunella S. sp. 12.; cynanche exanthematica S. sp. 4.; cynanche arthritica S. sp. 10.; cynanche hepatica S. sp. 8.; cynanche a dysenteria S. sp. 13.: A causis externis sunt
cynanche

* Cull. Gen. Morb. G. X. p. 271.

cynanche a deglutitis S. sp. 9.; cynanche mercurialis S. sp. 11. In omnibus his, duobus exceptis, cynanche quae illi dicitur, tantum symptomata, a morbo principe, qui in alio horum casuum alius erat, pendet. Is in specie 2. typhus, in 12. triteophyia ardens, seu, opinor, quam ipse Causon nominat, nempe tertiana remittens *, in 4. variola et rubeola, in 10. arthritis, in 8. obscurus jecoris affectus, in 13. dysenteria, aut quod ille pro hac habuit, erat. E duobus, quos excepi, casibus, nempe, 9. et 11. in illo vulnus aut plaga, inflammationem partis symptomaticam excitans, in hoc eadem ex mercurii nimio usu suborta, affectus princeps fuerat. Idem nosologorum, vero verbi sensu, princeps, aliis legis nosologicae, quae species easdem semper fixasque et immutabiles, quales eas natura fert, eoque ejusdem quamque generis, non plurium et diversorum esse, ponit, violatae porro arguendus est; nam nona apud eum cynanches species postea
pro

* Vid. Sauvag. triteoph. spec. 2. Cull. Gen. Morb. G. III. sect. II. p. 250.

pro dysphagiae specie habetur, et ad hanc quasi alterum, cujus esset, genus relegatur. Quo facto, hic quoque in legem, jam memoratam, qua definitio generis ad specierum definitiones deduci, et unicuique superaddi debeat, impegit; nam in cynanche a deglutitis, pro cynanches specie habita, pyrexia nulla, est. Idemque de cynanche mercuriali dicendum est. Illi sunt Sauvagesiani in re nosologica errores, quos non solum in hac, sed in omnibus ejus nosologiae partibus, admisit. Quos omnes ad regulam reducere ac generatim speciatimque commonstrare, par labor ipsius operi foret, volumina paria completeret. Nam, ut in altioribus, in quibus tacere, quam loqui, maluisse me dixi, generibus, etiam alii errores, hoc quoque argumentum spectantes, ab illo admissi, facile cuiquam, qui nosologiae paulo peritior sit, ad animum sine nostro relatu adcurrent, ita similiter ii eum in similibus quoque omnibus partibus erravisse, pariter commonefacient.

N O-

NOSOLOGIA CLASSICA.

Quod ad nosologiam, hac academia receptam, attinet, hoc genus, sub communi classe * cujus est, bene comprehenditur ; siquidem horror, et “ post hunc pulsus frequens, calor major,” in eo, ut supra indicatum est, manifesta sunt. Neque in eodem, ubi paulo vehementior morbus est, non quoque vires artuum imminuuntur, quod symptoma, si in minore morbi vehementia minus manifestum est, niti eò tamen natura intelligitur. Bene igitur, ratione classis habita, hoc constitutum genus est.

NOSOLOGIA ORDINALIS.

Quod ad ordinem attinet ; cum phlegmasiarum ordo in duas quasi sectiones, alteram

* Cull. Gen. Morb. Cl. I. Charact.

ram ubi pars externa, alteram ubi interna, inflammatur, dividatur; quae utraque in communi ordinis definitione indicatur, ita priori earum cynanche bene convenit; quippe cui illius signa, nempe, “partis externae ruborem, calorem, et tensionem delentem,*” non deesse manifestum sit.

NOSOLOGIA GENERICA.

Idem ut genus, excepta una nota, bonum est. Nam, ut cum reliquis omnibus ordinis generibus ratione, quam hujus habet, concordat; ita, sui ipsius propriis notis, ab iis omnibus distinguitur. Utque Pyrexiarum ordines, (uniuscujusque et omnium pathologia, cujus ratio hinc aliena est, spectata,) classem naturalem, ita phlegmasiarum genera, ordinem etiam naturalem, componunt. In omnibus enim non solum affectio localis et pyrexia sunt, sed hanc ab illa pendere, pathologia

* Cull. Gen. Morb. G. VII.

thologia communis ostendit. Verum tamen, hujus ratione habita, unum genus ab ordine, et una species ab hoc genere, utroque ut naturali, excipiuntur. Genus arthritis, species cynanche gangraenola, excepta sunt. Ab hoc loco generis ratio aliena est.

NOSOLOGIA SPECIFICA.

Quod ad speciem exceptam attinet, affectionem localem, ut in reliquis generis speciebus, et in reliquis ordinis generibus, primam esse, et ab ea pyrexiam pendere, minime certum et exploratum est. E contrario, primum genus nervosum universum affici, debilitatis manifesta symptomata, primum apparentia, documento sunt; cujus effectus tam partis, quam communis corporis, affectio, perinde ac in febribus propriis ac exanthematis, demum esse videtur. Quae pathologica annotatio, cum nihil dum rationale tetigerim, nec cum rebus veris rationes mis-

cendas existimem, ad nosologiam obiter explicandam sufficiat. Jamque historia, diagnosi, et nosologia, qua potuimus, constitutis ;

CAUSÆ REMOTÆ

Proxime aggrediendae sunt. Quae, cum quidam homines sint, quos vix ulla noxae externae vis morbo adficiat, alique, qui ex levissimis offensis facillime in eum incidant ; ideo, hujus rei ratione habita, in seminium et causas occasionales, seu potestates nocentes, rite digerendae videntur. Quod ipsum, scilicet, ut causae remotae in seminium et potestates nocentes digerantur, quia huic speciei cum reliquis ejusdem generis speciebus, et cum reliquis ejusdem ordinis generibus, commune est, horum morborum omnium communem porro naturam arguit, et quam naturalis ordo fit, ostendit. Seminium est interna corporis conditio, qua fit, ut, oblata potestate

potestate nocente, morbus incidat. Rursus potestas nocens est externa vel aliena vis, quae, existente intus feminio, idem efficit. Morbus igitur conjunctum utriusque, et neutrius sine altero, opus est. Contra, ubi utriusvis sine altero morbus effectus est, ut, ubi feminium, paulatim crescens, ad morbi modum affurgens, aut potestatis nocentis vis absoluta sine interna conditione, morbum constituit, tales causae sine discrimine, remotae, Principia Gaubio dictae, recte appellantur. Quae discrimina, non in pathologia sola, nam si ita esset, inania forent, sed etiam in ipso usu, et ipsis morborum curationibus, utilissima sunt. Sic enim digestis causis, multis tempestatibus medendi consilium dirigetur, accuratiusque noxa externa vitabitur, si feminium intus cognoscitur. Quod intus non esse cognito, supervacua opera non sumetur. His expositis, alios morbos a causis simpliciter remotis, alios a feminio et potestatibus nocentibus, magis oriri dicendum est. Alii sunt, qui, ut saepius ab alterutris, ita aliquando quoque ab alteris solis proficiuntur. Et,
ut

ut caetera omittam, hic, de quo agitur, morborum ordo, hinc a feminio, illinc a potestatibus nocentibus, longe saepissime, multoque rarius a causis simpliciter remotis, exoritur.

SEMINIUM

Cynanches tonsillaris est sanguinis abundantia, seu plethora, firmorum simplicium densitas rigiditasque, vivorum tonus validus, sanguinisque, saltem primo morbi adventu, ex causa ignota, et postquam ille saepius incidit, ex vasorum laxitate in fauces versus impetus. Quae corporis conditio vel naturalis esse, vel consuetudine acquiri, potest. Naturale feminium id est, quod aut in temperamento, aut aetate, aut sexu, consistit. Acquisitum est id, quod a certis rebus, progrediente vita, exoritur. Quae res feminii causae rursus dici queunt. Hae causae, seu

SEMI-

SEMINIUM FACIENTIA,

Sunt frigus diuturnum, victus lautus, excretiones imminutae, sanguinis perdendi consuetudo, vitae genus quietum, et quae similia sunt.

POTESTATES NOCENTES

Sunt haec ipsa, quae diutius admota, et lentius agentia, seminium faciunt, nunc hoc intus existens, subito magis et vi repentina agendo, ad educendum morbum excitantia. Quorum omnium longe frequentissimum, tam in aliis fere omnibus hujus ordinis generibus, quam in hoc et hac hujus specie, frigus est. Quod, ut in omnibus praecipua potestas nocens est, ita in iis, quorum sedes aëri externo magis objicitur, ut phlegmone, ophthalmia,

ophthalmia, rheumatismo, aliqua ex parte pneumonia, et hoc ipso genere, etiam plus, quam in interioribus inflammationibus, valet. Denique

CAUSÆ SIMPLICITER REMOTÆ

Erunt harum ipfarum alterutra, nempe, aut frigus, aut feminium, si aut illius mera vis, aut hujus magnitudo, sine alterius opere, morbum forte inferat. Quod et fieri potest, et re vera fieri nonnulli, in quibus feminium minime inesse videtur, et alii a potestate nocente defensi, in morbum tamen impliciti, ostendunt.

CAUSA PROXIMA

Cynanches tonsillaris cum reliquis, ordine comprehensis, morbis quoque communis est. Quae, quo clarius intelligatur, de sanguinis in secunda valetudine suis vasis motu, pau-
ca

ca dicenda videntur. Magnum, quo sanguis et reliqui humores moventur, instrumentum cor, sed non solum, est. Aliae enim potestates in eundem finem conspirant. Eae sunt, motus muscularis in vicinis ad vasa locis premendo, sanguinem progredientem impellens, et, haud paulo potentior hoc, vis quaedam motrix ipsis vasis insita. Quam vasis insitam esse, visa fibrarum muscularium in vasorum textura species, irritabilitas experimentis demonstrata *, et, ut subtiliora quaedam omittam, ipsius inflammationis propria, probant. Haec potestas non in omnibus vasis pariter inest. In quibusdam deesse, ut in venis omnibus praeter truncos communes, aut his proximos ramos, videtur. Et in ipsis arteriis, quae ubique ea praeditae sunt, ita inaequalis est, ut in maximis et cordi proximis minima, in minoribus major, in minimis maxima, sit; unoque verbo, quo longius

* Vid. Disput. inaug. Denison superiore anno hic editam, de inflamm. et differt. Vershur. apud eundem, item Cull, instit.

longius a corde arteriae recedunt, eo major usque existat.

Haec potestas, arteriis insita, est per quam una cum cordis actione, sanguis in iis percutitur, et vis inhaerens nominatur. Pendere potestas inhaerens ab humoris nervosi aliquanto, ad fibras vasorum musculares delato, ibi pro tempore morante, et ulteriorem usque, quo aucta vigeat, ejusdem humoris influxum, requirente, videtur. Non igitur, ut magno Hallero visum est, per se absoluta est, sed a potestate nervosa usque pendet. Cumque haec ab animali potestate, seu cerebri actione, pendeat, ita hanc quoque ei necessariam fore sequitur. Quam utramque sic ei necessariam esse, stimuli, aut nervis inter fibras motrices et cerebrum, aut huic, admoti, et actionum vasorum pariter excitantes, probant. Et ab altera parte stimuli, ipsis fibris admoti, actionem earum, ut experimenta docent, excitant. Quorum constantissime admotus, et sanitatis usum praecipuum praestans sanguinis, in vasis perfluentis, copia et impetus est. Ratione horum stimulorum
habita,

habita, potestas inhaerens, quia ab iis irritari, id est, augeri, potest, irritabilitas nuncupatur. His expositis, causae, inflammationem continentis, ratio facilius intellectu erit. Nam, si solitus sanguinis cum copia impetus solitas arteriarum in sanitate contractiones causa excitans est; certe majorem solito copiam, majorem impetum, contractionum quoque majorum, scilicet, validiorum et crebriorum, causam fore patet.

Est igitur causa nostri morbi proxima, sanguinis praeter solitum, per causarum remotarum vim, in arteriolas partis laborantis congesta, abundantia. Haec eas distendit, et stimulo suo, quae distentio est, earum contractiones auget. Auctae contractiones etiam plus sanguinis in ipsas congerunt, in majus impetum augent, et ipsae ab iis invicem porro augentur. Sed haec distendens eas congestio, solius laborantis partis arteriolis, contineri non potest. Inflammatis vicinae, licet infra inflammationis modum, aliquanto solito magis distendantur quoque necesse est. Quarum distentio similiter proximos iis ra-

mos afficiens, ab his ad majores, dein ad truncos, denique ad ipsum cor, perveniet. Cujus demum actio excitata, inverso modo totam auctae arteriarum actionis seriem augebit.

Atque sic distendens congestio, in arteriis extremis exquisita, inflammationem, minor in reliquis omnibus diathesin phlogisticam, creat.

Haec, aucta ubique arteriarum cordisque, actio eorum tonum, seu promptam ad contrahendum se fibrarum in iis muscularium conditionem, quae contractilitas dicitur, auctum ponit. Unde, ipso stimulo admoto, tantae contractiones, quantaе memoratae sunt, cientur. Quae contractiones cum tono, sic in reliquis vasorum sanguiferorum partibus adauctae, in extremis arteriis, praeque caeteris inflammatis, similem statum, nempe inflammationis causam, augent. Quo quidem modo diathesis phlogistica, quae ab inflammatorio statu facta est, hunc invicem, nempe, sui causam, intendit.

SYMPTOMATUM EXPLICATIO.

Rubor, nimiam sanguinis copiam, ea qua relatum est ratione, per vascula inflammata cum molimine subesse, significat. A sanguine enim ruborem esse experimentis exploratum est.

Tumorem idem explanat.

Calorem, quamvis non, ut nonnulli crediderunt, sanguinis motu genitum, tamen omnis aucti ejus motus comitem esse, notum est. Hunc igitur auctum, pariter ac reliqua signa, seque ab ejusdem causa pendere, indicat.

Dolorem fibrarum muscularium, (sive nervis iis commixtis, sive ipsis, ut a sensu non alienis, facultatem dolendi tribuas), distentio clare facit.

Spirandi difficultas fit, quia, qua aër committit, via per inflammationem angustatur.

CAU-

CAUSARUM REMOTARUM
EXPLICATIO.

Fibrarum densitas, nullis currente vita casibus tam acquiritur, quam a primis staminibus, deducitur.

Plethoram gignit victus lautus, sanguinis, quem materia victus facit, copiam augendo. Idem efficiunt excretiones imminutae, et vitae genus quietum, humoris, alioquin excernendi, abundantiam intus retinendo. Sanguinis autem, sive morbo sive consilio, perdendi consuetudo sui copiam gignit; quia actiones vitales, et inde pendentes secretion-nes, imminuit, naturales vero actiones, et praecipue concoctrices, non afficit. Hinc, dum eadem usque alimenti materia ingeritur, concoquitur, in bonum sanguinem vertitur, nec solita humorum excernendorum
copia

copia aufertur, crescat intus abundantia necesse est. Quod magna sanguinis subito profusio non facit, quia omnes actiones pariter, eoque naturales quoque et concoctrices, imminuit, debilitataque cerebri actione, et genere nervoso ubique, sanguinis conficiendi negotium ut fecus procedat efficit.

Frigus vero, quod potestatem quoque nocentem esse dictum est, feminium, quod eadem plethora dat, perspirationem subito imminuendo, adauget. Idem nota coryzae causa, eodemque modo agendo, est. Sed in utroque casu non solum impeditur perspiratio, sed, qui perspirandus erat, humor in oris, narium, et faucium membranam, vel hujus partem aliquam, convertitur. Qui, si in istam ex qua tonsillae constant, partesque ei proximas, potissimum dirigatur, pro coryza aut una cum hac, cynanchem tonsillarem faciet.

Quod autem humor perspirabilis, intus retentus, ad fauces sic dirigatur, rationem non reddo, rem veram esse contentus. Utque
sanguinis

sanguinis suis vasis impetus nisusque certis rebus inter diversas corporis partes librari, satis nunc notus in confesso est; ita similiter eos humores, qui arterioliis exhalantibus, aut similibus fecernitur excerniturque, librari, aeque exploratum est. Sic obstructa aut retenta perspiratione, humor perspirabilis, nunc in membranam modo dictam versus, coryzam seu catarrhalem affectionem, aut cynanchem; ad intestina derivatus, diarrhoeam, et in dysenteria et cholera eandem pro symptomate; in renes transfusus, diabetem facit. Contra, aucta praeter modum perspiratione, ubi idem humor perspirabilis contrario impetu per foramina sua cutis undique diffluit, in interioribus istis partibus perspirationi respondentes, cumque ea libratae, pro rata parte imminuuntur. Unde aut ischuria, aut colica, aut sitis, aut faucium siccitas, similesque harum affectiones, in deficiente humorum oris excretionem positaе, continuo subnascuntur.

P R O G-

P R O G N O S I S

Raro periculosa cynanche tonsillari est: Cumque a frigore oriatur, neque fedes ejus, dummodo iter ad pulmones tumore non claudatur, quod rarissime accidit, vitae necessaria sit, junioresque et sanguinei prae caeteris conflictentur, tristiores finem habere vix potest. E contrario, plerumque levior est, et neutiquam metuenda. Periclitatur tamen, crebro et prope per circuitum redeundo, in consuetudinem tandem verti et diu molesta esse. Quod ipsi mihi mirum in modum usu venit; cui primum quotannis, nunc bis, ter quaterve eodem anno, et gravioribus, quam in quoquam alio vidi, legi, aut accepi, symptomatis cruciato, morbus incidit.

C U R A T I O.

Consilia medendi cynanche tonsillaribus sunt,

I. Sanguinis impetum et copiam toto corpore et parte laborante deminuere et spasum solvere.

II. A parte laborante ad summum corpus libramen reclinare.

III. Motus generis nervosi, per quos consuetudinem redeundi morbus acquirit, mutare.

Primo consilio respondent administratio antiphlogistica praeter frigoris usum omnis, alvi purgatio, sanguinis, sed raro largiore opus erit, detractio, rubefacientia, vel potius vesicatoria, collo admota. Haec spasmo quoque, praeterque ea, aquae calidae vapores, ore accepti, solvendo vasorumque distentioni laxandae sunt.

Secundum

Secundum consilium explent perspirationem juvantia, cumque, tendente ad solutionem morbo, simul sudor incidit, huic favendum. Sed de his remediis figillatim verba prius faciam, quam ad novissimum consilium transeam.

Ex administratione antiphlogistica irritamenta, ex sensuum exercitatione orta, nulla hic incommodant. Sed motu tum reliquo fere omni, tum maxime loquendi, ne alter, sanguine alibi percitato, diathesin phlogisticam, si est, augeat, si abest, inducat; alter ipsam partis inflammationem irriter, abstinendum. Sitis, ut stimulo futura, sedanda, sed tepida potio danda; quae alioquin usui est. Alvus non solum facilis, ut in omnibus phlegmasiis, et morbis febrilibus omnibus, servanda, sed etiam, quod huic morbo cum capitis phlegmasiis commune, purganda est. Quae purgatio, ab locis repletis et laborantibus humores abstrahit, et solum, quod nunc notum est, remedium revellens dici potest. Ex eadem hac administratione animi cura nihil refert.

Ut inflammationi, huic morbo, respondet sanguinis detractio, praecipue, ubi paulo major tumor est, et magis etiam, si, quod rarum est, utramque tonsillam occupat; aut, si pyrexia et diathesis phlogistica, ut saepe satis, subest. Sed etiam ubi hoc fit, larga necessaria raro est; praesertim cum debilitet, et, ne vehemens inflammatio gangraenam inducat, vix metus sit. Antiquorum et medicorum circa XL abhinc annos e venis ranularibus sanguinem miserunt. Quod molestum sputum quia creat, et nihil sanguinis, quod operae pretium sit, aufert, omittendum videtur. Cui operi, si e parte affecta detrahendus humor videbitur, haud paulo efficaciores hirudines, externis faucibus impositae, erunt.

Adstringentia, et praecipue acida, hic prodesse, omnes testantur. Quomodo agant, dictu difficilius est. An, ut in ophthalmia, quam aliquando vasculorum tenerorum, et nulla membrana sustentorum, laxitas facit servatque, astringendo? Verum, si, astringendo prodesse credenda sunt, cur, aquae calidae vapores, quorum contrarium opus certe est,

est, pari usui esse reperiuntur? An potius, refrigerando et sedando, auxilio sunt? ut in ophthalmia quoque saccharum saturni agere videtur. An denique, glandulas mucosas stimulando, et sic mucum fluidiorem educendo, ejusque, qui in folliculis stagnet, excretionem expediendo, respondent? Utut hoc explicetur, res vera non infitianda est.

Aquae calidae vapores neutiquam ita ambigui sunt. Hi, mucum in crustas coire periclitantem, et humorum faucium excretionem prohibentem, diluunt; et sic faucium visciditati medentur. Iidem vasculorum fines relaxando, ad spasmus, hos obtinentem, solvendum, humoribusque eductis distentionem tollendam, pertinent. Ut igitur initio morbi, ad fluentiorem mucum faciendum, acida, ita, provectiore eo, ad minus viscidum eum reddendum, et crustis occurrendum, ii utendi. Infundibulum, quo vapores ascendunt, in summo incurvari, ut erectus aegrotans ore recipiat, et, ut vapores cohibeantur, vestis lanea circumjicienda est.

Rube-

Rubefacientia ante hoc adhiberi solita sunt; sed alcali volatile, quo uti consuerunt, nimis acre est; itaque partem irritat, ut saepius applicari non possit. Ad hoc incommodi prohibendum in olio volatili nunc adhiberi coepit, adjuncta camphora; quae, quamvis non forsitan inutilis, propter odorem saepe omititur. Cumque idem alcali volatile, in miti statu non cum oleo bene mixtum permaneat; ideo causticum, quo in statu melius mixtum perstat, commodius adhibetur.

Vesicatoria usui quoque, humores ad summum corpus attrahendo, sunt. Sed locum, ubi imponerentur, hirudinibus, si has tumor forte incommodans postularet, reservare consultius videtur*.

Alvum purgantia, quorum ad irritamentum vitandum, usus sub administratione antiphlogistica expositus est, huic quoque consilio, ut medicamentum, conveniunt. Quae, humoris intestinalis mucique excretiones augendo, et corpore efferendo, magnam humorum

* Cull. Prael. de hoc morbo ann. MDCCCLXXII.

rum copiam abducunt, superioremque partem, et sui confimilem, laborantem, congestorum humorum onere partim levant. Estque hoc solum fere revulsioneis genus concedendum.

Ut ad secundum consilium transeat; verificatoria, humores ad se trahendo, profunt. Quorum et rubefacientium usui cataplasmata, quorum opus eodem pertinet, et comodo non caret, posthabenda videntur.

Quae, ubi applicanda utique videbuntur, maxillae inferioris angulo, contra tonsillas, applicari, eoque ab aure ad aurem patere, debebunt. Arcte quoque adhaerere debent: Nam, si decidant, quod, nisi solertia maiore admoveantur, accidet; admissio frigido aëre, pro molliente et humores ad externam, cui incumbunt, partem alliciente opere, adstringens, affectionem aucturum, interveniet. Verum, cum novies e denis casibus, ita quidem decidant, ideo eorum usus rectius omnino omittetur*.

Admini-

* Cull. Prael. de hoc morb. hoc ann.

Administrationis antiphlogisticae pars una frigus est. Quod, tametsi in aliis quibusdam morbis, et ante omnes, etiam in inflammatione symptomatica illa, quae eruptioni variolae pustularum praecedit interestque, sedante virtute, aestui et irritationi in summo corpore moderatur; hic, ut in plerisque quoque inflammationibus, sive febrilibus, quales phlegmasiae sunt, sive localibus, quia diathesin phlogisticam aut in parte aut in toto corpore stimulando adauget, ex toto vitari oportet; et, e contrario, quicquid ad summum corpus humorum impetum diriget, dummodo id quam minimo stimuli fiat, adhiberi. Ob quam causam sudor movendus non est, quia id praestantia, plerumque nimis calefaciendo, stimulant nocentque; ut curationum usus ad docet. Satisque fere semper est, calore pariter et frigore vitatis, ea coeli temperie uti, quae perspirationi liberiori faveat. Quod satis certo praestare videtur cubiculum clausum, igne, si frigidior forte tempestas est, modice calefactum, sed sine eo, ubi coelum temperatius est. Omnis supra hanc perspirationis expedi-

expediendae ratio nocet, neque urgendus unquam in summum corpus impetus est. Eoque, ut sudor non excitandus, ita sponte incidens non sistendus, contra ducendus et fovendus caute et prudenter est *.

Cum redeundi consuetudo firmata est, ea curatio, quae aliis morbis, qui in plenitudine, accessiones reducunt, positi sunt, ut haemorrhoidi, huic quoque, convenit; scilicet, ut plethorae causae tollantur. Eae sunt quas supra memoravi.

Exercitatio igitur non vehemens, quia haec constans esse nequit, sed lenior, eoque, quod potest esse, constantior, qua excretiones sustentantur, et plenitudo prohibetur, respondet.

De victu quoque aliquid demendum est. Et, quoniam qui huic morbo opportuni sunt, ii juniores fere validioresque, interdum satis robusti, sunt, eoque ferendo remedio habiliores; ideo, et de genere et de copia alimenti, ut tuto, sic necessario, remittetur. Itaque carne

* Cull. Prael.

ne abstinendum, modiceve ea, et materia ex plantarum genere sumpta, utendum, potionum meracum usu, magis etiam consuetudine, desistendum, pura aqua bibenda.

Novissima ad hoc consilium pertinens cura est, ut simulac plenitudinis signa, quae quivis, morbum saepius expertus, ignorare non potest, redire incipiunt, vel, si ea praesciri possunt, paulo ante certum adventum, quod efficacius quoque foret, sanguis brachio dematur, minusque usque et minus unoquoque tempore, donec tandem remedii necessitas, et ab ipsius usu saepius iterato oriens effectus, nempe cui occurritur plethora, simul decesserint.

Finitis cum hac disputatiuncula meis in hac illustri academia studiis, jamque ei post VII. annorum moram valedicturus, omnibus Praeceptoribus meis, a quorum praeceptis utilem doctrinam addiscendi mihi copia fuit, maximas ago gratias.

F I N I S.









